

VII. *De eodem Phænomeno Genevæ viso, Epistola Viri Clarissimi Domini Johannis Ludovici Calandrini, Math. Prof. Ordinar. Genevæ, ad Jac. Jurin, R. S. Secr.*

Dabam Genevæ Kal. Nov. 1726.

DIE Saturni $\frac{12}{2}$ Menſis Octobris, horâ sextâ & dimidiâ vespertinâ, Aurora Borealis fulgere cœpit, Phænomenon vobis quidem fatis familiare, nobis verò ex ſeniorum ſententiâ plane novum, ſed tam illuſtre, & circumſtantiis à vulgaribus in Tranſactionibus ſæpe deſcriptis tam diverſum, ut de eo audiviſſe fortâſſe non pigebit.

Primò quidem, quâ horâ dixi, Arcus lucidus viſus eſt, cujus medium ſtabat in Horizontis Septentrione, extremitates ad Arcturum in Occaſu, & ad Pleiades in Ortum, 40° altus; lucidus fatis, ut Solem è Septentrione jam ortum ire diceret; ſed hic nihil eſt novi.

Post horam ſeptimam, quaſi violenti incendii flammæ, vel continua fulgura totum albicantis arcus locum occupaverunt. Serpebant ex Horizonte ad cœli fornitem haud abſimiles veri furni flammis, extremitates arcûs rubicundo atrove fulgore vulgum terrebant, ipſæ flammæ in atrum fumum deſinere videbantur, ita ut diem Domini inſtare mulierculæ non dubitarent. Cœleſte hoc incendium pluſquam horam duravit; Scenâque mutatâ, ex Horizonte exilire columnas, quæ ad Zenith pertingerent, viſum eſt: Ex eâdem ſupradictâ baſi, coronâ in extremitate Phænomeni tum occidente & cornu Tauri inferiore ab alterâ parte ſurgente, columnæ pluſ minusve latæ, 60 aut 70° altæ, tria vel qua-

quatuor minuta durantes, paulatim evanescentes, vel prius in igneum colorem versæ; post aliquod tempus cessarunt columnæ: tum Aurora Borealis ut primum fulsit, cui ante decimam successerunt flammæ vehementiores quam prius, quibus cessantibus columnæ circa undecimam visæ sunt, magis diutinæ, & 120° plerumque altæ: Rursus Aurora, mox flammæ, postea columnæ, atque ita ad tertiam usque, quâ videbantur adhuc Phænomeni relliquiæ.

Ultra luculam, quæ semper Septentrionalem, quam dixi, cœli partem illustrabat, majoris Ursæ stellæ parum fulgebant. E Vesontio, quod 90 milliaribus hinc distat, eodem modo visum fuisse Phænomenon accepimus.

Arfit interea unum ex illis Meteoris, stellæ cadentes dictum, quod ultra Phænomenon arfisse visum est.

Ex reflexione Solaris luminis à partibus Atmosphæræ Borealibus congelatis Auroras Boreales formari dictum est: Sed flammæ adeò notabiles quo pacto explicentur non video. Si ab exhalationum incendiis ortum hoc Phænomenon censeatur; Aurora Borealis Phænomeni comes, columnæ, duratio Phænomeni, & ipsius in eodem loco statio, negotium faceffent.

Joh. Lud. Calandrini;